

**JUBILÆUM**  
**SCHOLASTICUM,**

SEU

**HESES**

**EX UNIVERSA THEOLOGIA,**

IN

**QUINQVAGINTA**

**QUÆSTIONES,**

ex Sacra Pagina utriusq; Testamenti de-  
cerptas, & Scholasticè resolutas.

AD MENTEM

**DOCTORIS SUBTILIS, JOANNIS DUNS SCOTTI,**

publicæ Disputationi propositæ,

AC

**ILLUSTRISSIMO, ac REVERENDISSIMO,**  
**DOMINO DOMINO**

**URBANO CERRI,**

Utriusque Signaturæ Sanctissimi Domini nostri INNOCENTIJ XI.  
**REFERENDARIO,**

ET

Sacræ Congregationis de Propaganda Fide

**SECRETARIO,**

dedicatæ,

PRÆSIDE

**P. Fr. AMANDO HERMANN, Ord: Min: S. FRANCISCI Re-**  
**form: PRÆDICATORE, In Conventu Neo-Pragenfi S. MARIE ad Nives**  
**SS. Theologiæ LECTORE GENERALI ORDINARIO, & Almæ Provinciæ Bohemiæ**  
**S. Wenceslai Ducis ac Martyris DIFFINITORE ACTUALI.**

DEFENSÆ

**à P. MARCO à CHIPROVATIO, ejusdem Ordinis ac Instituti Sacerdo-**  
**te, ac Provinciæ Bulgaricæ S. MARIE Assumptæ Alumno.**

**Neo-Pragæ, in Ecclesia S. MARIE ad Nives, ejusdem Ord:**

**Anno 1679 Mense Die Hujus meridiem consuetis.**

VETERO-PRAGÆ, Typis Danielis Michalek.



Ego dormio et Cor meum vigilat ant. 5. 1788  
G. de Groos fecit. 1788

ILLUSTRISSIMO, ac REVERENDISSIMO  
DOMINO DOMINO

URBANO  
CERRI,

Utriusq; Signaturæ Sanctissimi Domini nostri INNOCENTII XI.  
REFERENDARIO,

&  
Sacræ Congregationis de Propaganda Fide  
SECRETARIO

Amplissimo,

Domino ac Patrono meo Colendissimo, &c.

Illustrissime, ac Reverendissime Do-  
mine, Patrone, & Mæcenas Observandis: Colendissime.



Utrorumq; eventus, & veritates olim præsignavit, & fre-  
quenter etiam errabunda verè adumbravit Antiquitas; sicut enim  
ex Sacris Codicibus suorum scrutabantur simulacrorum similitu-  
dines, ita fabulis plures texerunt invidi, vel cæci, veritatum pul-  
chritudines; Et ut alia taceam: Deliciosissimi Hesperidum horti aurea feren-  
tes mala, occasione Paradisi Voluptatis confabulati, in cujus medio situata erat  
Arbor Scientiæ boni & mali, aliud quid præsignabant? veriùs quæro, quid te-  
gebant? quàm Sacram Theologiæ Scientiam, & auream ejus Sapientiam, quæ  
arboribus consita est aureos in tempore suo, ferentibus fructus; Prima Arbor,  
eâque nobilissima in areola, aut horto Primi Sententiarum plantata, est ipsa Di-  
vinæ Naturæ (a) Essentia, cujus Radix est Deitas, Stipes Personæ, Rami Attri-  
buta Divina illis communicata; Flores cunctarum Idææ rerum, & Fructus Cre-  
aturæ Rationales ordinatæ ad perpetuè fruendum infinito illo Effendi beatifi-  
cativo Pelago. Et illæ ipsæ, quæ fructus sunt Omnipotentis, & Bonitatis DEI  
(b) quoque suo modo sunt Arbores fundatæ, & creatæ in terra benedicta gratiæ  
cælestis; stabilitæ, & rigatæ auxilijs, firmatæ veluti maceriâ Regulis, & Consci-  
entiâ, quæ fructus quandoque proferunt bonos, quandoque malos; Ex fru-  
ctibus proinde eorum cognoscetis eos, quos continet, & examinat Areola se-  
cundi Sententiarum; sed in tertia est Arbor ex grano Synapis confurgens JE-  
SUS Christus in (c) tantam Altitudinem, ut volucres & aves Cæli veniant, & in  
ea nidificent: Ni quispiam Eum compellare vellet Palmam, in quam Sponsa con-  
scendit fructum ejus, bonorum operum, meritõrû, & gratiæ captura. Sed in quar-  
ta Areola, hortõve (d) sunt Septem Aromaticæ plantulæ Sacramentorum, de qui-  
bus eadem Sponsa gloriatur, *Emissiones tua Paradisi malorum Panicorum, cum po-  
morum fructibus, Cypri cum Nardo, Nardus, & Crocus, Fistula, & Cinamomum &c.*

A

Hos

(a) Georg. *Vent. Cant. to: 2. cap.* (b) *Cyprianus contra Nova: Augustinus tom. 2. de sermo-  
Dom: in monte.* (c) *Orig. sup. Rom: 6. Hilarius super Matb: 12. Ambros. Serm. 1.* (d)  
*Gilbert. Porret.*

Hos Hortos, Areolâsque hasce Arboribus istis auriferis confitas REVERENDISSIME, & ILLUSTRISSIME D. D. ego feliciori fortunâ, quàm Hesperii filia, in Nemo-  
 re Aquilonari Urbis Pragensis Regni Bohemiæ, menti meæ trienniali studio,  
 & labore implantavi, qui jam fructus suos proferunt maturatos ad carpendum,  
 & in publico examine delibandos; Quia tamen ubiq; Auri sacra fames mul-  
 tum mortalia cogit pectora, tantò habent magis timere à turbine discussionis,  
 dejectionis, impugnationis, ablationis, & dispersionis Scholasticæ, tuti proinde  
 non sunt, nisi Custodem præficiam fortem, nisi Protectorem præfigam potentè,  
 non quidem Draconem, quempiam, sed Angelum, prout Divina præfecit Para-  
 diso Majestas: Sed quem? Bonum consiliùm sacra suggerit Pagina! Olim ive-  
 runt Ligna, & Arbores, ut ungerent super se Regem, salutantes Olivam, Ficum,  
 & Vitem, dicentesq; *Impera nobis*: Saniore consilio Arbores meæ Auriferæ, Fru-  
 ctusque collecti, tuam Gentilitiam, & Stematicam Arborem eligunt dimisè, &  
 suppliciter postulantes, *Impera nobis*. Nam & umbram habet, cujus altitudine,  
 & proceritatem indigitat Familiæ Illustrissimæ Nobilitas, Splendor, & Gloria:  
 cujus latitudinem insinuant Authoritas, & Dignitas: cujus rami Honorum, Vir-  
 tutum, Sapientiæ, & Scientiæ ab Oriente usque ad Occidentem se se protensu-  
 ri sunt; habet etenim secreta sibi data *de propaganda*, & quia Fide, In omnem  
 terram exhibit fama ejus cum Fidei perfectò Zelo; & ob id mei Fructus Theo-  
 logici sub ea quiescere satagunt, nunquam tutiores futuri; quàm sub Patroci-  
 nio illius, qui toto nisu, totis viribus eorum defendit radices, & principium,  
 Fidem. Fac, & benignissime annue, ut dicere valeam, sub umbra illius, quem  
 desideraveram sedi. ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE *Impera nobis*;  
 Et esto Mecænas noster, nam & dulcedinem habes morum, & Virtutum sua-  
 vitatem, gratiarum copiam, & justitiæ æquitatem, quibus cunctos, meque spe-  
 cialiter fovere possis, & regere, ac patrocinari, sicut enim olim vaticinatus est  
 Isacides Propheta *Iustitia, & Pax* oculatæ se sunt, ita in TE & *Gratiam, & Iusti-  
 tiam* intimiorem fecisse conjunctionem certè deprehendo, dum TE & hujus, &  
 illius signandæ apud Sanctissimum Gratiarum Christi Dispensatorem INNO-  
 CENTIUM XI. fidelissimum veneror Referendarium. *Impera nobis* REVE-  
 RENDISSIME, & ILLUSTRISSIME DOMINE; & esto Mecænas noster, Arborem nam-  
 que tuam Altam, & Procèram, latam, & foliatam similem esse concipio, quam  
 Daniel in suo refert Vaticinio cap: 4. in cujus magnitudine admiror tuum in  
 fortitudine modum, in altitudine tuam sublimitatis profunditatem, in aspectus  
 dilatione tuam præcellam authoritatis magnitudinem; in pulchritudine folio-  
 rum tuam suavem sermonis facundiam; in fructu universorum ædificationis  
 doctrinam solidam: In subjectione bestiarum tuum debitum severitatis rigorem,  
 in cohabitatione volucrum tuam exactissimam circumspeditionis provi-  
 dentiam. Igitur repetitis postulationibus supplico denuò, *Impera nobis*, & esto  
 Mecænas, esto Arborum harum, horumque meorum fructuum aureorum Sa-  
 pientiæ, Patronus, Custos, & Defensor: Et ne humilitas Magnitudini tuæ con-  
 genita excusationem alleget, ad Urbanitatem baptismali nomine infusam ap-  
 pello, & me totum dedico in servum, confesco in famulum, & subijcio in obse-  
 quium.

REVERENDISSIMÆ, & ILLUSTRISSIMÆ  
 DOMINATIONIS TUÆ

*Clientis minimus & obsequentissimus.*

P. MARCUS à CHIPROVATIO.